

C. 21. num. 18.

1724, 6.

SUCCINCTUM EXAMEN
DUORUM ARGUMENTORUM,

PRO SENTENTIA:

QVOD

POLYGAMIA SIT
JURI NATURÆ
CONTRARIA,

ASSISTENTE ALTISSIMO

Anno MDCCXXIV. d. 28. Octobr.

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

institutum,

abs

PRÆSIDE

ERN. JOH. FRID. Manßel

J. U. ET PHIL. DOCTORE MORALIUMQUE
PROFESSORE ORD.

&

RESPONDENTE

CHRISTIANO ANTONIO

Manßel

L. L. Stud.

FRATRIBUS GERMANIS.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIGEROVII, Ampliss. Senat. Typogr.



MAGNIFICO ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS RECTORI,

VIRO

Divinarum atque Humanarum
Rerum Peritissimo,

D O M I N O
JO. JOACHIMO
WEIDENERO,

Ph. & S. S. Th. D. hujusque Profes-
sori Publico Ordin. Famigeratissimo.
Fctatis suæ Seniori & h. t. Decano
summè venerabili, ac ad Div.
Mariæ Pastori Primario
Religiosissimo,

FAUTORI, PRÆCEPTORI ac COLLEGÆ
suo sanctè colendo,

hasce pagella
dedicata cupit
PRÆSES.

VIR MAGNIFICE!

IV libello a. 1602. in eis quodam coniunctio
MAGNIFICE in benigne beatis etiam
Praes. coniunctio quodam coniunctio
dicitur, ut in aliis quodam coniunctio
legeremus. Tunc namque etiam
gallum. Et hoc est quodam coniunctio
quodam coniunctio quodam coniunctio
autem hoc est quodam coniunctio
quodam coniunctio quodam coniunctio
autem hoc est quodam coniunctio



Trum in convivio disputare liceat?
Non semel, sed frequenter inter E-
ruditos quaestum est: Ac cordati-
ores eorundem, prouti decet, af-
firmando respondere solent, habita
scilicet gravi distinctione inter con-
vivia ad debachandum instituta ubi disputantes a ver-
bis ad verbera devenire assolent; Et illa, quibus
viros honestos honeste interesse neutquam dedeco-
riesse potest. Quibus stantibus neminem, credo, of-
fendet, quod **Tuae Magnificentiae**
ante septiduum in solenni quodam convivio placu-
erit

erit mecum in genere disceptare de litibus eruditorum immortalibus , speciatim autem exemplique gratia de Polygamia , utrum scilicet illa sit Jure Naturæ prohibita , nec ne ? Neque te offendit Vir

Magnifice ut penitus persvasus sum , quod Partes contradictis adi argumentum tuum suscepimus , insimulque aliud quoddam ventilationi subjecerim . Tanta enim est tua humanitas , ut dissensum modestissime declaratum , te pati posse , nullus dubitem , potissimum in illis capitibus , quæ hactenus tuo ex calamo publico communicare hand luhuit . Da itaque veniam impensissime precor hisce foliis , quæ nunquam luci exponere ausus fuisset , nisi mihi **Tua Magnificentia** id publice concessisset , & ni ego stipulando quasi illa promissem . Hoc autem non obstante , si forte indignatibus tuis viva fuerint , sac , ut autoritate , qua jam polles , e medio tollantur , crementur .

Verum , si nosti Manzelium Tuum , quem certe nosti , non erit ut de talibus remediis cogites ; Nunquam enim ne literulam quidem exprimet ille , quæ suspicitionem facere possit , Eum non esse

TUÆ MAGNIFICENTIÆ





Q. D. B. V.
DISSERTATIO,
EXAMINANS
Duo Argumenta pro sententia:
**POLYGAMIAM J. N. ESSE
PROHIBITAM.**

PRÆLOQUIUM.



§. I.
US NATURÆ , invitis tot tantisque
osoribus , fundamentum esse omnis
Jurisprudentiæ & felicitatis humanæ
hujus seculi , omnes , quibus mens sa-
na in pectori fano , nobiscum uno ore
affirmant : Bene tamen reputantes ,
frustra illos laborare , qui capropter excellentissimum
ex ejus fonte profuentem Oceanum spernere atque vi-
lipendere conantur. Ita enim rem comparatam esse ,
amica veritate , confitemur : DEum T. O. M. quem sana
ratio , quoad existentiam , satis demonstrat , mortalibus
indidisse normam & facultatem dijudicandi , quid hu-

A

manæ

manæ felicitati conduceat, quidve officiat. Infuper autem ex hac norma non omnia directe, & quomodo pro statu Reipublicæ mundanæ, qualis eadem jamjam est, applicanda & expedienda veniunt, elici posse.

§. II.

Quapropter rebus sic stantibus, vanum & ridiculum esset, flebili violentia omnia illa, quæ jam, non sine prægnanti ratione, usu servantur, ex necessitate Juris Naturæ derivare velle. Quam enim absurdum foret, si quis in fonte navigare, nec vela spumantibus longeque lateque se diffundentibus undis committere vellet; Ita ridendum etiam est, ex solis Juris Naturæ claustris suam Juris scientiam expromere.

§. III.

Si enim retrospexerimus, non est, ut judicemus, majores nostros, & gigantes illos, quorum super humeros hodierni superbientes & salientes stant pumiliones, destitutos fuisse ea ratiocinandi facultate, quam hodierni, se solos sapere autumantes in corde gerunt; Nec ridenda veterum sollicitudo circa colligendas jam praxi receptas leges, novas ordinandas, folennitates & sanctiones, quibus feliciter nostra Juris scientia carere haud potest, adornandas; Sed potius summa animi veneratione agnoscenda eorundem cura, qua iter & viam nobis parare haud gravati sunt, super quam hodie, absque gravi minimum impedimento, ambulare nobis conceditur.

§. IV.

Qui haec tenus dicta sancto approbabit silentio, non deerit partibus nostris, sed pollicem premet afferentibus: *PLURIMA in Juris nostri scientia ita comparata esse, ut ex necessitate Juris Naturæ ita, veluti jamjam servantur, esse debeant; QUÆDAM autem adeò laudabilia esse, ut quidem*

for-

(o)

fortassis alia & simili ratione eadem facilitate & felicitate sta-
tui queant, attamen in statu presenti nihilominus feliciter ad-
bibeantur, usurpentur, serventur. PAUCULA quedam istius
farina esse, ut emendatione indigeant. Quod germanice for-
tean ita efferendum: Das das meiste nothwendig so, wie
es sezo ist, seyn müssse; Bieles, loblisch, so wie es ist, bleiben
können. Etwas weniges verändert werden sollte.

§. V.

Qua ipsa distinctione os illis obturabitur, qui, ne-
scimus qua fronte, ex variantibus pro voluntate supe-
riorum, legum secundariarum dispositionibus, juris incon-
stantiam, lubricam justitiam, & quid præterea elicere
non erubescunt; Die da raisonnen: Die Rechte lauf-
sen wunderlich.

§. VI.

Unicum est, quod dolemus, dari scilicet *dubia* que-
dam Juris Naturæ vexata, circa quorum decisionem ha-
ctenus ratiocinantes in unam nondum voluerunt ire
sententiam. Eorum autem ex numero est materia
de POLYGAMIA VIRILI, *Utrum nimis illa repugnat*
Juri Naturali? Hanc ut data hac nobis occasione bre-
vibus pertractemus, animus est. Placuit igitur differ-
tatione academica illud facere, cui titulum präfiximus:
SUCCINCTUM EXAMEN DUORUM ARGUMEN-
TORUM PRO SENTENTIA: POLYGAMIAM
ESSE JURI NATURÆ CONTRARIAM.

§. VII.

Ex quo ipso titulo satis patescit, neutiquam insti-
tutum nostrum eo tendere, ut longam istam
hactenusque sexcenties tractatam controveriam ab ori-
gine revocemus, omniaque circa eandem usitata argu-
menta cumulemus: Illud enim superfluum esse serio
existimamus, dum neminem eruditum nomen vel meren-

tem vel minimum affectantem adeo hospitem in studiis Juris naturalis judicemus, ut nesciat ubi hanc cramber opiparis dapibus propositam degustare possit.

§. VIII.

Imò eapropter ne fontes quidem allegare placuit & Doctores, quorum in Systematibus multam hæc materia facit paginam, multominus compendia & schediasmata qua de eadem vel ex instituto vel incidenter quædam continent. Sufficit enim nobis, dixisse : Duo ista argumenta, qua jam examinanda sumsimus, vel haec-nus nunquam, vel minimum nondum ea ratione, qua nos utemur, quantum quidem nobis constat, esse exhibita.

SECTIO I.

EXAMINANS

ARGUMENTUM PRIMUM.

§. I.



E igitur B. L. diutius in præliminaribus detineamus, ad rem veniendum erit, memorandaque speciosa & erudita illa deductio prior, qua hæc est : Jus Naturæ, velut regulam & normam ad felicitatem inveniendam & conservandam, imperare, ut quilibet se conservet in statu in quo constitutus est ; inculcare, & hocce præceptum : Ita sufficias, ut semper, h. e. donec morte naturali hinc tollaris, sufficere possis. His autem regulis ad polygamum rite applicatis, clarissimum reddi, quod ille talem se gerat, qui illarum præscriptis contrarius judicari, merito queat.

§. II.

§. II.

Et hoc quidem exinde , quia notorium , nil magis ad maturandam mortem facere , quam *venerem immodi-
cam* : Quae tamen *marito polygamo* merito exercenda , si scilicet *officiosus* esse & debita conjugalia pro obligatione præstare anniteretur.

§. III.

Aut igitur *Polygamum officia mariti* deserere debere , aut *officia boni parentis* & patrisfamilias ; *Primum* eundem facere neutiquam posse , propter obligationem , qua de-
vinctus est ad exhibendum debitum conjugale , & qui-
dem ita & tam frequenter , ut uxoris unctionibus consulatur , & ne illa causas habeat alia via satisfactionem qua-
rendi . *Posteriorius* itidem nefas illi esse debere , propter
vinculum quo se adstrinxit proli suæ , quod ipsum ob-
ligat ad nutriendam suam sobolem ; Non enim sufficere ,
infantes procreare , sed sufficere demum , illos rite edu-
care , donec scilicet ipsimet sibi de vietu & amictu , ut
boni dignique Cives societatis humanæ , prospicere que-
ant , quod ante annum ætatis XX. raro feliciter fieri
poterit .

§. IV.

Ut res eò clarior evadat , Fingitur casus : Lucius homo XXV. annorum , requisitis physicis & moralibus instructus , ducit Pompejam virginem XX. annorum ; Jam , si omnia rectè se habent , procreantur liberi , & quidem , secundum communiores rationem & experi-
entiam usque ad annum ætatis Uxorius XLV. quo Mari-
tus L. annos natus ; Nascitur itaque in hoc ultimo ter-
mino e. g. Filius , erga quem obligatio parentis illa est ,
quæ modò dicta , scilicet , ceteris paribus , eundem ali-
mentandi usque ad annum XX. quo Pater natus LXX.
qui terminus naturali ratione attingibilis ; (sit voci
venia .)

§. V.

§. V.

Unde clarum esse putatur, dignum societatis humanæ civem, h. e. illum, qui omnem sibi, ut homini in cumbentem obligationem explere fatagit, ita se gerere debere, ut quantum in se est, & circa matrimonium inchoandum, & circa continuandum, circaque sobolem generandam & nutriendam finem habeat propositum que, si DEO ita placuerit, justo tempore, quod anno XXV. constitutere placuit, matrimonium ineundi; sibi adscitam uxorem] ad finem vitæ retinendi; sobolem ex illa suscipiendi; Susceptam educandi; Tribus: ita se gerendi, ut sua culpa nil eveniat, quod vel societati Civili, vel matrimoniali, vel paternæ sit contrarium.

§. VI.

Qvo ipso palam esse creditur, eum non debere se jungen pluribus uxoribus quam uni, vel eapropter ut possit proli sua nutriendæ sufficere, vel potissimum propterea, ne sua sanitati vim inferat, & aut impotentem se reddat, aut præmaturam planæ sibi conciliet mortem.

§. VII.

Hæc est illa deductio, circa quam nunc videndum, an ita sit comparata, ut omnem excludat formidinem oppositi, utque adeo probet, Jure naturali polygamiam esse interdictam.

§. VIII.

Ut itaque sincere fateamur, id quod pro nostra penetratione nobis de illa videtur, invenimus magnas omnino exceptiones, ob quas illi subscribere hactenus non audemus.

§. IX.

Sunt autem illæ potissimum sequentes: Primo Generaliter presupponendum est, omnes rationes Juris Naturalis perpetuas esse debere, h. e. ita comparatas, ut nullus possit dari casus in quoquam individuo, ubi positio generalis

(o)

neralis cesseret. Jam autem inveniuntur exceptiones masculorum tantæ capacitatis ut falsa non solum sanitatem, sed & ad promotionem ejusdem, duabus vel pluribus uxoribus illa præstare possunt, quæ alias hic vel illæ, ne uni quidem reddere valet.

§. X.

Et licet excipiatur : *Sepius homines plus sperare de familiaribus suis, quam in illis est* ; Vel etiam cum tempore audaciæ pœnam illos audaculos luere, adeò ut post aliquot temporis intervallum nihil valeant, qui breviante, nescio quid, sibi sumebant ; Iterum reponimus, quod licet interdum, imo ut plurimum hoc evenire possit, tamen dari queant & dentur masculi tanto vigore prædicti, ut nullum sentiant decrementum. Quod, si opus esset, vel exinde demonstrandum, quod Jura senibus (qua fronte jam non disputamus) in crimen adulterii dispensationem tribuere soleant, & quidem eapropter quia habitus & consuetudo quasi necessitatem ipsis impoſuerint.

§. XI.

Secundo : Licet hæc omnia vacillarent, propriam adhuc esset exceptio : Non scilicet incumbere marito Polygamo, ut omnibus simul & eodem tempore cohabitent, sed quod feliciter possit alternationem introducere, vel foecundata una, immo in partus & lactationis (quam certè ipsis matribus incumbere credimus,) temporibus versante, alteri se associare, adeo ut nihilo minus omnibus satisfiat. Et si quis regerat, tunc amorem non satis reciprocari ; Ratio hoc suggerit, quod per paustum antecedens hac de materia inter masculum & feminam agi possit, adeo ut omnibus obyiam eatur querelis.

XII.

Quibuscum jungi meretur in subsidium consuetudo illarum gentium quibus plurimas ducere uxores nefas haud est, quippe secundum quam pro lubitu hanc vel illam admittunt, ceteris interim ordinis spem habentibus. Singulariter enim de *Turcis* notissimum est, quod illi diversas diversis in locis habeant uxores, ac mox ad hanc, mox ad illam se conferant. Quod ipsum quoque variis exemplis biblicis illustrari potest, ut *Jacob*, cuius uxores Lea & Rahel de mariti conversatione pacta inierunt adeo ut Lea concubitum sibi quasi emerit, tradens Racheli dulcem istam Dudaim. Unde liquet, Jacobum, virum alias *Juris* & *equi* probè gnarum, non semper cum utraque uxore, sed alternando concubuisse. Addantur exempla sapientissimorum Israelis Monarcharum Davidis & Salomonis, qui sexcentas alebant thorii socias, de quibus tamen nullatenus credibile, quod omnibus eodem tempore, & servata æquali proportione cohabitaverint; sed quod pro lubitu hanc vel illam tantum accersiverint,

§. XIII.

In solis itaque, ut ajunt, disco positum esse remur: Posse aliquem, salva *ILLA* ratione duas vel plures ducere uxores circa dispendium sanitatis vel vite; imo posse istiusmodi polygamum pluribus affectione maritali cohabitare, illæsis regulis: *Ita sufficias, ut semper sufficere possis; Conservate in statu in quo constitutus es.*

§. XIV.

Discusso hocce, quod maximum videbatur, minus èd facilius ruit: Nempe regulam: *Ita sufficias &c. etiam extendendam esse, ut quilibet caveat ne plures ducat uxores, plures procreat liberos, quam alere valeret. Hoc enim cuiuslibet prudenter effet reliquendū: Imò iterum*

iterum hic applicabile esset, quod supra diximus; *Rationes Juris Natura perpetuas esse debere.* Quæ perpetuitas hic penitus iterum cessaret, siquidem, quod consequenter omnibus illis sive magnatibus, sive aliis divitibus privatis largienda sit libertas ducendi minimum una plures uxores, ob facultatem moralem indubitate tantam, ut & uxores & liberos exinde nascituros & matos alere & educare possent.

§. XV.

Dicit autem aliquis in aurem, eruditum defensorem distingvere inter id quod *perpetuum est ratione speciei,* & *ratione individuorum,* verum, ut breves simus, non videmus, quomodo illa distinctio nostra sententiae quam detrahatur.

§. XVI.

Sufficerent igitur haec, nisi ad majorem rei evidentiā, itidem casum, omnino dabilem, proponere placeret; Qui sequens sit;

Sempronius, Vir Juvenis XXV annorum, non solum honestam elegit vitæ conditionem, atque ad eandem ita se præparavit, ut in sua arte vel in suo negotio magister dici possit, accingit se operi, & favente fortuna pro virtute sua tantum lucratur, ut dignissime vivat; Habet etiam insuper a parentibus relictos centum mille thaleros: Capit consilium ducendi uxorem, dicit etiam unam, suscipit ex ea liberos, ast non tot, ut plures alere & bene educare non posset; incidit in propositum adhuc unam adsciscendi uxorem, certus nimirum, quod, si etiam centum habeat liberos, alere illos & ritè educare posset: Novit etiam virtutem suam cohabitricem, quod vel ambabus aqua mensura debitum præstare queat; vel nisi

Hoc etiam fuerit, sique secum habitaverit, agnosceris, quam sit sibi curta supplex; pacto præcavet: Nullam uxorum certo determinatoque tempore aliud exigere, sed quamlibet expectare debere, donec marito, a quo judici, placuerit; Vel etiam alternationem stipulatur: Annon isto casu, si NB. aliae non obstarent rationes, salvis regulis:

*Ita sufficias
&c: Conserva te*

duas uxores ducere licitum imò laudabile esset? *Licitum* scilicet, prout evictum; *Laudabile* quia Bigamus procreationi sobolis invigilaret, dignosque societatis Cives educaret, semellamque quæ forte alias adeo favorabilem conditionem haud inveniret, felicem redderet.

S. XVII.

Quibus addi meretur, quod in casu pertinaciter denegati debiti conjugalis Judex marito non injungere soleat quotidianam, sed certo numero per annum & mensis præstandam cohabitationem: Unde tantum colligitur, uxorem justas haud ducere posse querelas, nisi maritus penitus eandem negligeret vel quasi deserat.

S. XVIII.

Quid si autem objectum fuerit; *Multa habentus dicta esse de pacto*: Pactum fieri non posse, nisi sit utriusque partis consensus: Consentium vero uxorem primam non quam daturam, aut si dederit vi & metu eundem datum esse. Ast salva res esset: Nam casus utique dabilis emergere posset, ubi uxor ultra consentiat: porro, uno eodemque tempore duæ duci possent, antequam scilicet alterutra in possessione vel quasi se fundare queat; Et tandem, non obstaret, etiam vel uxor consensum denegaret,

negaret , vel maritus eundem ne quidem requireret.
Modo is satis præcaveat litium occasiones inter duas istas
feminas.

§. XIX.

Tandem, si forte reponatur : *Occasionem & invitacionem hic fieri ad peccandum*, dum scilicet uxores non contentæ concubitu alternativo & raro, libidinem cum extraneis explorare conarentur, sic würden extra gehen. Respondemus I.) Aut maritus est ex illis, qui pluribus satisfaciunt, & eo casu cessat exceptio : II.) Aut iste non est talis, & præcavet modo omnes extravagantias sub certo pacto, additaque poena : Et iterum cessat. III. Si tandem eo digredi velimus, quoisque malitia sit obviendum ; Hic opus & labor esset maximus : Quia dari possent & dantur uxores uno marito , ut utsatis habili, quo sola fruuntur , non contentæ, sed extraneis se commo- dantes,

§. XX.

Hæc sunt, quæ pro tempore circa illam deductionem quam modeſtissimè , ut credimus , excipere integrum fuit : Dantur forte majora & plura momenta, quæ conflictui reservamus ; vel in eum effectum ut illa retundamus ; vel ut, si invincibilia fuerint , illis subscribamus. Cum enim in ea simus sententia , Polygamiam utique esse J. N. prohibitam , magnum nobis inde emerget emolumentum , si hæc ratio , ut omni exceptione major, luci exponatur. Prouti & stante principali arguento, lubentissime in subsidium vocamus omnia haec tenus usitata ratiocinia, quam yacillantia etiam illa sola esse , haec tenus experti simus. Jam autem brevissimis prodigiamur ad

B 2 SECTIO-

SECTIONEM II.

EXAMINANTEM

ARGUMENTUM SECUNDUM,

§. I.



Uod sequens est, & quod consistit in
hac demonstratione: DEUS T. O. M.
sapiens omnium rerum autor & pro-
vidus earum conservator, prestantissi-
mam sine dubio fecit creaturam, hominem,
eum in finem, ut vitam rationalem
vivat, seque distinguat ab omni bestia.

Fecit autem *duos tantum sexus*, masculinum & fe-
mininum, quem alii sequiorem, alii contra elegantiorem
appellare assolent;

Indidit sexui masculino *inclinationem* erga femininum, & reciproce huic erga illum, & quidem adeo
servidam, ut non obstantibus tot argumentis conjugia
diffiadentibus, non obstante Philosophorum sententias
sapientem dedecere conjugium; Sejus feratur erga Meviam,
donec in nobile coierint par; Imo ipsi Philosophi a-
criter contra conjugium disputantes, vel Euphrosinen
vel Xantippen sibi asscent.

§. II.

Quod ipsum non adeo leviter tractandum, cum
indubitato possit esse argumento, DEum ipsum esse
causam hujus inclinationis, ne prævaleat illa philo-
sophia,

(o)

sophia , & tandem pereat genus humanum , nullo sci-
cet in ejus propagationem legitime laborante .

In qua sententia nos penitus confirmant ea , quæ
de brutis , in libertate naturali viventibus , observamus ,
quippe quæ , secundum eorum annotationes , quibus ut ar-
tificibus credendum , nullum ex commixtione sentiunt
delectamentum , utut tali impetu ad eandem ferantur ,
ut cum cæde vix sint arcenda ; cuius asserti veritas
etiam exinde elucescit , quod non nisi certis temporis
bus appetant coniunctiones , & intermediis spatiis nec
masculus nec femella quicquam appetitus testatum fa-
ciant .

§. III.

Hoc posito , prona concludimus consequen-
tia , quod , sicut omnia bruta animalia solo in-
stinctu naturali , quamprimum habilia sunt , in pro-
pagationem vertuntur & ruunt ; Homo etiam quilibet
teneatur invigilare procreationi sui similis : Et
quidem si sola spectetur *naturalis ratio* , statim ab annis
pubertatis . Quod ipsum tamen pro praesenti statu mun-
dicum *ratione & prudentia* , expectata nimirum occasione ,
qua quis , requisitis etiam moralibus instructus , famili-
am alere potest . Unde sine violentia fluit : Quemlibet
quidem , si generaliter spectetur , obligatum esse ad ine-
undum conjugium , si autem respectu ad circumstantias
praesentes mentem dirigamus , dari jam posse causas , ob
quas hic vel ille vel differat conjugium , vel penitus
nunquam illud ineat . Modo istæ causæ non sint fictæ ,
adeo ut temerarius quis estimari possit neglector , quo
casumerito dicendum , quod istiusmodi celebs in DEum
& societatem injurius sit . Unde haud improbandæ
veniunt leges variarum gentium , quæ satis dura de te-

B 3

mere

mere ccelibibus disponunt vid. SCHOTTELius: *Conf. etiam in nostra Jurisprudencia, materia de Adoptionibus,*

§. IV.

Hactenus, ut credimus, nostram demonstratiōnem ita exhibuimus, ut cum effectu nil possit in contrarium afferri: Quapropter ita pergendum est:

Si verum est, omnes homines obligatos esse ad in-eundum conjugium, & quidem si naturaliter rem ad-spexerimus, statim ab annis pubertatis; Et si verum est, DEum non nisi duos sexus hominum fecisse; Et si verum est, AEQUALM ESSE NUMERUM MASCULORUM ET FEMINARUM; Sequitur, uni masculo tantummodo unam conjungi debere & posse feminam: *Quia alias si cuilibet pro libitu concederetur duos vel plures duce-re, multi & innumeri superessent masculi, qui ob penuri-am femellarum coelibes esse cogerentur, quod tamen providi Creatoris voluntati e diametro esset contrarium,*

§. V.

Utut hæc soleclariora videantur, tamen in gratiam eorum, quibus fortean scrupulus superesset, sūfius quod-dam hujus syllogismi probabimus prius & antecedens, Quod hoc est: *Aequalm tantum esse numerum masculorum & feminarum;* Hoc itaque & a priori, & a posteriori, hoc est experientia, satis lucide probari posse credimus:

A Priori: Quis enim præsumeret, DEum T. O. M. proportionem non servaturum; Conf. in subsidium Historia Creationis, ubi refertur DEum non fecisse unum Adamum & tres vel quinque Evas; sed unum Adamum & unam E�am.

A posteriori & ab experientia probantur: Quia non videmus in nostris rebus publicis, ubi polygania sub-capitiis

capitis poena prohibita est , centenas & millenas feminas esse superflua : Quia , si aspicerimus Catalogos baptizatorum & mortuorum variis in locis fideliter consignari & publicari solitos , invenimus passim duos vel tres puerulos , passim quatuor vel quinque puellulas numerum inaequalem reddere . Ad quod illufrandum magnopere etiam facit , quod perspectis Catalogis Pastorum Ecclesiärum , in quos consignant & annuatim baptizatos , & catechumenos , & sacra Synaxi utentes , & morientes , certissime reperiatur , numerum seminarum vix individuum quidem interdum prævalere numero masculorum .

§. VI.

Prævidemus quidem exceptiones etiam adversus hanc nostram thesin movendas , & quidem in specie sequentes :

Argumentum hoc esse defumtum a difficulti , adeo ut investigatio ad probationem contrarii ab Erudito haud facile dari possit ; Ast quomodo id potest difficile esse , quod vel exemplis demonstrare , vel conclusione a minori ad majus sine dispendio temporis probare levissimum est . Utinam itaque Magistratus Reipublicæ alicujus adeo curiosus esset , ut in gloriam DEI computum civium suorum utriusque sexus accurate institueret , Credimus certe quod liquido apparitum sit , id quod demonstravimus .

§. VII.

Porro si objectum fuerit : *Multos masculos perire in bello coelibus ; submergi aquis &c. Dicimus , quod hoc magis pro nobis quam contra nos militet ; Quia nihilominus*

nus

nus non sint myriades vacantium & superfluarum feminarum. Et si forte quis hoc telum contra nos in contrarium direxerit , asserturus, æqualitatem numeri celsare ; dicimus : Aliquas omnino feminas se coenobiali vita (quo jure, nuncnon tangimus) consecrare ; Multas etiam quoniam perire in puerperiis. &c.

Tribus itaque , quantum haec tenus perspicimus,
hoc argumentum tanti est ponderis, ut evincat:

POLYGAMIAM JURE NATURALI ESSE
PROHIBITAM.

SOLI DEO GLORIA.



Rostock, Diss., 1724/27



St.

B.I.G.



C. 21. num. 18.

1724, 6.

SUCCINCTUM EXAMEN
DUORUM ARGUMENTORUM,
PRO SENTENTIA:

QVOD
**POLYGAMIA SIT
JURI NATURÆ
CONTRARIA,**

ASSISTENTE ALTISSIMO

Anno MDCCXXIV. d. 28. Octobr.

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSE
institutum,

abs

PRÆSIDE
ERN. JOH. FRID. Mangel,

J. U. ET PHIL. DOCTORE MORALIUMQUE
PROFESSORE ORD.

&
RESPONDENTE
**CHRISTIANO ANTONIO
Mangel,**

L. L. Stud.

FRATRIBUS GERMANIS.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI SCHWIGEROVII, Ampliss. Senat. Typogr.

